

128

ERVDITIONE, ET PIETATE SINGV-  
LARI PRÆDITO VIRO DOMINO, GREGORIO VERNENBOR-  
GERO, Reuerendissimi in CHRISTO patris clarissimi Principis Archiepiscopi Treuerensis à sacris et  
à concionibus. In Magisterij dignitatem, Ioannis Lorichij Hadamarij. Congratulatio.



Valiacumq; mouent nostros incommoda sensus,  
Seu lædant animos Corpora siue premant,  
Difficile est aliqua non prodere uoce dolorem  
Sponte sua gemitus multaq; uerba cadunt.  
Mutus Athleta fuit magno in certamine uictor,  
Vo calem extorsit mæror & ira sonum,  
Ergo suos titulos insueta uoce reposcit  
Præmia quæ uidit fraude negata sibi.  
Sed magis inflatum cum tentant gaudia pectus  
Lætitiæ nemo dissimulare potest.  
Vt non successu mens turgeat alta superbo,  
Vix aliquis compos tam ualet esse sui.  
Ne quæso pudeat uos Musas uera fateri,  
Victas affectu uos iacuisse pari.  
Ad numeros ruitis uos Carmina funditis ergo,  
Vel limata parum uel properata nimis.  
Vester GREGORIUS Verneborgensis alūnus  
Talibus instigat pectora uestra modis.  
Hanc hylares ergo lucem traducitis omnes  
Et uix ipse dies gaudia tanta capit.  
Iam uestris Helicon resonat concentibus ingens  
Audit Parnassus carmina loeta biceps.  
Quamuis Tenaridæ lugeret funera chari  
Sumeret hac phebuis pleetra sonora die.  
Nam tanta puras coluit pietate Camenas  
Gregorius tantum his mutua cura fuit.  
Gnauiter ingenuas artes sectatus Ephebus  
Perdidicit studio dogmata cuncta graui.  
Non exantlauit paruos pro laude labores  
Nec minimo sumptu constitit illud opus.  
Abstrahit à studijs iuuenem fortuna maligna  
Musarum è gremio fors inimica rapit.  
Auulsum hinc casus claram deducit ad aulam  
Hæc à Pieridum est uita aliena choro.  
Aulica cum doctis dissentit norma Thalijs  
Præcipue doctos negligit aula uiros

Dum fragili in tantis uersatur classe procellis  
Optatisq; carent Carbasâ passa notis.  
Gratior affulgit memorandi præsulis aura  
E medio fessum uexit & illa salo.  
Composuit sæuum pelagus, pelagiq; labores  
Optatum portum nunc tua puppis habet.  
Hic tibi ceu præsens affulgit numen & illum  
O utinam digne carmina nostra canant.  
Sustinet imperij nam multa negotia sacri  
Et trifido notum nomen in orbe tenet.  
Cuius Cæsareas tribuunt suffragia sortes  
Et reges uotis eligit ipse suis.  
Aurea sub cuius redierunt secula ductu,  
Cum prisca pietas relligiosa fide.  
Ergo Trebatina hoc Ecclesia præsule gaudeat  
Ceu patre lætatur subdita turba suo.  
Ille fouet magnis sacras sumptibus artes  
Doctrinas iusto nutrit honore bonas,  
Hic quoq; Gregorio non parca stipendia præbet.  
Anglipolin tandem uisere iussit eum  
Pontificis meruit talem scio, uita fauorem  
Integra, nec fallax cum pietate fides.  
Gratulor obtantum tantiq; Herois amorem  
Laus est principibus posse placere uiris.  
Quod studijs condigna tuis iam præmia dantur  
Lætarer proprijs non magis ipse bonis.  
Nunc tua quo laurus crescat foeliciter opto,  
In uiridi fructus stipite semper habens.  
Mox rubeum exornet te post hæcserta Galerum,  
Auctibus usq; nouis progrediatur honos.

Ingolstadij excudebat Alexander Vucissenborn.  
M. D. XLIII.

